

1576

sulto decretum Patres sanxere : Procul dubio credendum esse publicas urbium calamitates Dei Optimi Maximi vindices poenias esse , quas in se publice peccando populi provocarent ; ejus rei complura , eademque præclara in Sacris literis exempla extare ; Hebream gentem adeo Deo dilectam saepius ob publica errata severe coercitam , Divinasque iras nisi poenitendo , satis que publice faciendo non evasisse . Quis enim humanae industriae conatus Divino numini obsistat , cum semel ejus Angelus in civitatem gladium distrinxerit , uti huic populo atque urbi contigisset ? Itaque nullum aliud præsentibus malis remedium superesse , nisi ut a Deo Optimo Maximo cuncti supplices opem implorent . Quapropter Senatui placere , triduo , nonis nempe , septimo , ac sexto idus septembris , supplicationes publicas haberi ; iis Principem una cum Senatu interesse . Sexto idus , sabbato , die festo beatæ Virginis ortui dicato , supplicationibus absolutis , Principem Senatus nomine Deo Optimo Maximo Rempublicam voto obstringere , basilicam Christo Redemptori dicatam , a fundamentis erecturum ; ad eam singulis annis , qua die pestilentia civitas liberata foret , accessurum . In ea extruenda decem aureorum millia impendi , binos sacerdotes cum anno sexaginta aureorum stipendio attribui , atque ad ea exequenda Senatores duos eligi , decretum est .

*Senatus sā  
etissimum  
votum de  
basilica Re-  
demptoris  
confirūda.*

*Aloysii Mo-  
cenici Prin-  
cipis ad Ve-  
netum popu-  
lum oratio .*

Itaque statuta die , post habitas supplicationes , Aloysius Mocenicus Princeps in Marcia basilica ad populum , qui frequens pro temporum conditione convenerat , conversus , in hanc sententiam verba fecit . Usu satis compertum esse , quam verum sit , quod Rex ac Prophetæ Divino afflatus spiritu cecinerit : Domino civitatem non custodiente , frustra qui eam custodiunt , vigilare : quam enim industria vim , quæ adjumenta , quæ remedia tentata non fuisse , ut populus pestifera lue liberaretur ; quæ humana presidia pretermissa , ut publicæ civitatis saluti consuleretur ; cuncta in irritum cessisse ; funera funeribus aggrari ; recentes calamitates præteritis cumulari , ut tandem a summo vertice usque ad pedem nihil fere intactum relictum sit . Quis dubitet ( inquit ) hominum cogitata , atque inventa præpotenti hoc morbo inferiora esse ; gladioque huic obsisti non posse , qui Dei Optimi Maximi vibratus dextera , in hunc beatam olim fortunatamque civitatem sœviret . Quis Servatoris irati